Majorum, et stantes in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, nasumque minorem
Corvini, et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quid prodest generis tabula jactare capaci
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros,
Si coram Lepidis male vivitur?

Vera namque Nobilitas non titulis splendidis: non in Majorum imaginibus fumosis: non in paterna aut avita dignitate splendore, sed in virtute, in famae gloria, in rerum multarum scientia, in animo praecellentibus dotibus exornato consistit. Sic fuit L. Catilina nobili genere natus magnaque item vi et animi et corporis erat, sed ingenio insuper quoque malo pravoque. Nam, si Indolem ejus indagamus, huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata erant, inque iis artibus suam exercebat juventutem. Corpus patiens erat inediae, vigiliae, algoris supra quam cuique credibile. Animus erat audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator ac dissimulator, adeo quidem, ut ipse Cicero, in oratione pro Caelio non putet, unquam fuisse tale monstrum in terris ullum, tam ex contrariis diversis inter se pugnantibusque naturae studiis cupiditatibusque conflatum. Alieni porro erat appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastusque animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Quid mirum ergo, quod hunc hominem post dominationem L. Syllae maxima invaserit Reipublicae adipiscendae libido